



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum adoratio requirat determinationem loci? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

457
8. Tim. 2*Utrum adoratio requirat determinatum locum?*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod adoratio non requirat determinatum locum. Dicitur enim Jo. 4. Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Eadem autem ratio videtur esse & de alijs locis. Ergo determinatus locus non requiritur ad adorandum.

Q. 2 Præterea, Adoratio exterior ordinatur ad interiorem. Sed interior adoratio fit ad Deum, ubique existentem. Ergo exterior adoratio non requirit determinatum locum.

Q. 3 Præterea, Idem Deus est qui in nouo & veteri testamento adoratur. Sed in veteri testamento fiebat adoratio ad occidentem: nam ostium tabernaculi respiciebat ad orientem, ut habetur Exod. 26. Ergo eadem ratione etiam nunc debemus adorare ad occidentem, si aliquis locus determinatus requiritur ad adorandum.

S E D contra est, quod dicitur Isai. 56. & inducitur Luc. 19. Domus mea, domus orationis vocabitur.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut dictum est *, in adoratione principaliter est interior devotio mentis: secundarium autem est quod pertinet exterius ad corporalia signa. Mens autem interior apprehendit Deum quasi non comprehensum aliquo loco. Sed corporalia signa necesse est quod in determinato loco & situ sint. Et ideo determinatio loci non requiritur ad adorationem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius, sed secundum quamdam decentiam, sicut & alia corporalia signa.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus per illa verba prænuuntiat cessationem adorationis, tam secundum ritum Iudæorum adorantium in Hierusalem, quam etiam secundum ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizim. Uterque enim sicut cessavit, veniente spiritali Evangelij veritate.

secun-

secundum quam in omni loco Deo sacrificatur, vt dicitur Malach. 1.

Ad secundum dicendum, quod determinatus locus eligitur ad adorandum: non propter Deum qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes. Et hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua spiritualem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur: sicut patet ex adoratione Salomonis, 3. Reg. 8. Secundo propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis: secundum illud Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.

Ad tertium dicendum, quod secundum quamdam decentiam adoramus versus orientem. Primo quidem propter diuinæ maiestatis indicium: quod nobis manifestatur in motu cali, qui est ab oriente. Secundo propter paradysum in oriente constitutum, vt legitur Gen. 2. secundum literam Septuaginta interpretum: quasi queramus ad paradysum redire. Tertio propter Christum, qui est lux mundi, & oriens nominatur, Zach. 6. Et qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Et ab oriente etiam expectatur venturus, secundum illud Matth. 24. Sicut fulgur exit ab oriente, & patet vsque ad occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.

QVÆST. LXXXV.

De his quæ Deo a fidelibus dantur: & primò de Sacrificijs, in quatuor articulos diuisu.

Postea considerandum est de actibus, quibus aliqua res exteriores Deo offeruntur.

- ¶ Circa quos occurrit duplex consideratio.
- ¶ Primo quidem de his quæ Deo à fidelibus dantur.
- ¶ Secundo de votis quibus ei aliqua promittuntur.
- ¶ Circa primum considerandum est de sacrificijs, oblationibus, primitijs, & decimis.

X 4 ¶ Circa